

pibus Carthagenensium nullo modo egit, qui, cum ad urbem delendam missus, civitati & privilegiis nihil ademptum iri promiserat, nihilominus muros destruxit, & ædificia solo æqvavit, non enim de Urbe tum temporis intelligendum erat, quod promissum de civitate, cum hæc ab illa realiter distingvatur.

#### Questio IV.

### Quomodo differat Civitas & Respublica?

**U**T materia & forma: Respublica est Civitatis forma, ipsiqve largitur esse, leges & majestatem, Arist. 3. polit. c. 3. id quod in subsequentiibus ulterius declarabitur.

#### Questio V.

### An vita solitaria in benè constitutâ Republicâ sit toleranda?

**R**ectè Aristoteles: ὁ ἀπολις, inquit, διὰ φύσιν, ἢ διὰ τύχην, ἦτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἀνθρώπου, ἅμα γὰρ φύσι τοιαῦτος ἢ πολέμω Ἰπτιθυμῆης. i. e. qui sine civitate est per naturam, non per fortunam, aut neqvam est, aut potior qvàm homo: nam simul talis est, & belli cupidus, lib. 1. Polit. c. 2. Ejiciendi igitur sunt ex urbe ejus farinae homines, ut fieri solet, si Respublica humeris magistratus benè sedeat. Præterea etiam vita solitaria repugnat & naturæ & officio hominis, non sibi, sed Reipubl. nati.

#### Questio VI.

### An per communionem, quam diximus materiam, Reipubl. secundariam intelligenda sit communio bonorum Platonica?

Neu-